



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio Qvinta. De Simplicitate Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

quod ei soli convenit, eamque ab omni alio discernit.

VI.
In quibus
compositio
Metaphysica
imitatur
Physicam.

Et licet hoc etiam plerumque contingat in compositione Physicâ: Materia siquidem ut plurimum est ad varia composita indifferens, & à Forma ad hoc in particulari compositum determinatur: Forma enim, ut dici solet, est *quæ dat esse, & determinat* &c., ut aliud habet Dialecticorum Pronunciatum, *Genus ac differentia in Metaphysicis habent se sicut Materia & Forma in Physicis*, nonnumquam tamen contingit, ut Materia indifferenciam illam & indeterminationem ad varias formas & composita non habeat, ut in casu argumenti, de Materia scilicet Cæli contingit; in quo differt à Genere, quod ut in Logica dixi Disp. 33. sect. 8. n. 2. & Disp. 34. sect. 3. semper requirit plura specie distincta, quibus possit communicari.

VII. Secundò ad argumentum Respondeo cum

P. Arriaga hic, Disp. 16. sect. 4. num. 27. non ex eo præcisè quòd aliquid sit primum rei cuiusquam distinctivum, constituere adequatam illius essentiam; sed insuper requiri, ut sit radix & fundamentum ratione nostrâ prædicatorum omnium particularium, & perfectionum, quæ in illâ re continentur, quod Actui primo intelligendi in Deo competere, superius ostensum est. At verò Materia Cæli, esto Cælum primò ab omni alio distinguat, non tamen est radix formæ, eminenter scilicet eam & alia quæ ad illam sequuntur, præcontinenens, sicut Actus hic primus intelligendi in Deo actuale intellectiōnem, & reliqua ad eam subsequentiâ præcontinet. Nec ex eo quòd Materia illa Formam Cæli exigat, sequitur quòd eam præcontinet, actio siquidem animæ vel Angeli productiva animam & Angelum essentialiter erigit, nec huius tamen, nec illam præcontinet.

Alia differentia inter Materiam Cæli, & primum distinctivum in Metaphysicis.

DISPUTATIO QUINTA.

De Simplicitate Dei.

SECTIO PRIMA.

Declaratur Dei Simplicitas: ubi, utrum conceptus Simpliciter sit in positivo, an negativo.

I.
In quo sita
sit notio Simpliciter.



SIMPLEX idem est quod compositionis expert: rem enim esse simplicem, perinde censent omnes ac incompositam. Quot ergo compositionum, tot Simpliciterum iis oppositarum sunt genera: simplex nimirum integraliter est, quod partibus caret integralibus; substantialiter, quod substantialibus, & sic de cæteris.

II.
Deus est perfectissimè simplex.

Deus ergo, cum omnem omnino compositionem respuat, perfectissimè simplex est: quem proinde Patres uno ore simplicissimum appellant, in omni scilicet simplicitatis genere eminentissimum. Unde in magno Lateranensi Concilio, Cap. Firmiter, & Cap. Damnanus, Deus esse dicitur *Vna Natura simplex omnino*.

III.
Attributum Simpliciter in Deo, sine positivum.

Hæc certa. Non levis tamen inter Auctores est controversia, quis sit hic simplicitatis conceptus, aliis cum Scoto in 1. d. 8. q. 1. ad 1. in positivo illam statuentibus; aliis cum Cajetano de Ente & Essentia cap. 2. Comment. 2. Molina 1. p. q. 3. a. 7. ad 2. Valentia 1. p. q. 3. p. 3. Suario 1. d. de Deo c. 4. n. 1. & c. 9. n. 4. & aliis in negativo.

IV.
Simplicitas est quæ positivum, explicatum per modum negationis.

Mihi hæc in re probabilis videtur, conceptum Simpliciterum, quoad rem ipsam, consistere in positivo; esto quoad modum loquendi sit negativus, utpote qui per negationem explicetur; in quo cum variis aliis rebus convenit, quæ licet sint positivæ, per negationes nihilominus declarantur. Sic punctum dicimus quod caret partibus: duarum rerum præsentias sibi proximas, indistantiam appellamus: irrationale vocamus non particeps rationis, quamvis sit positiva differentia, bruti constitutiva, & sexcenta huiusmodi. Hoc pacto intelligendum existimo S. Thomam hic initio Questionis tertie, dum dicit, *per simplicitatem non indicari de Deo quomodo sit, sed quomodo non sit*, quoad modum scilicet loquendi, & hoc attributum explicandi: quemad-

modum in multis aliis rebus, ut vidimus, contingit.

Eadem ergo ratione hic Philosophandum censeo de simplicitate, sicut in Logica d. 19. dictum est de distinctione, quam inter res positivas in positivo sitam esse ibidem ostendi, esto per negationem identitatis explicetur. Dico itaque, licet detur negatio compositionis in Deo, sicut & negatio identitatis inter Petrum & Paulum, ac res alias quascunque positivas, nihilominus nec simplicitatem, nec distinctionem in hisce negationibus consistere, sed in entitatibus positivis, ad quas consequuntur negationes istæ, & essentialiter ab iis exiguntur; ex eo enim quòd Petro repugnet esse Paulum, negationem identitatis cum eodem postulat; & Deus, cum compositionem intra se omnem essentialiter per se excludat, petit negationem compositionis. Nec minus entitas divina per se ipsam est simplex, ac partes omnes & compositionem essentialiter respuens, quam est per se *Substantia, Vivens, Immensa*, &c.

V.
Vltimus ostenditur Simpliciterem consistere in positivo.

Negationes identitatis & compositionis sequuntur entitates positivas.

Non acquiescunt recentiores aliqui, & pro negativâ simplicitate sic argumentantur: simplicitas, inquit, opponitur compositioni, ergo in eo consistit per quod res aliqua maximè distat à compositione; sed per negationem compositionis maximè distat à compositione, ergo in hac negatione situs est conceptus simplicitatis. Conf. si per impossibile quis conciperet, vel partem novam, vel accidens Deo accedere, eo ipso hæc entitas quæ jam est, non foret tota realitas constitutiva Dei, sed pars solummodò; totum autem constitutivum esset entitas Dei, quæ modò est, & pars illa, vel accidens huic entitati adjunctum; ergo conceptus simplicitatis, non in illâ entitate solâ consistit, sed simul includit negationem partis illius unitæ, vel accidentis, sed hoc est formalissimè negatio compositionis, ergo Simpliciterum consistit in negatione compositionis.

VI.
Dicitur Simpliciterum maxime opponitur compositioni; ergo consistit in negatione compositionis.

Confirmatur.

Ad argumentum Respondetur negando subsumptum, rem scilicet per negationem compositionis maximè distare à compositione; per illud enim maximè distat à compositione, quod est ratio & causa cur in compositionem cum aliâ re venire nequeat;

VII.
Per negationem compositionis, res non maximè distat à compositione.

TOMVS I. nequeat; hoc autem est purissima Dei entitas, omnem in se compositionem essentialiter respiciens, & radix negationis compositionis, eamque necessario exigens, ut in simili dixi Disp. 19. log. sect. 1. n. 9. & sec. 2. n. 2. in responsione ad argumentum contendens distinctionem consistere in negatione identitatis.

VIII. Ad confirmationem dico, si pars huiusmodi integralis, aut accidens, Deo uniretur, ipso facto, & per locum intrinsecum, Deus destrueretur. Unde, quisquis hoc in Deo concipit, non hunc Deum, sed alium, & consequenter nullum concipit; Deus enim aptus integraliter augeri, aut ab accidente aliquo informari, non est verus Deus, sed fictus & Chimæricus.

IX. Simpliciter Dei optimam assignat rationem Angelicus Doctor hic q. 3. a. 7. in secundo argumento unâ cum adjunctâ illius solutione; Deum enim quicquid est melius, tribuendum: hoc, ipsum naturæ lumen dicitur, hoc Patres omnes affirmant, quorum una vox est, Deum esse quo nihil cogitari præstantius potest: sed melius & præstantius est habere perfectiones omnes suas identificatas quàm distinctas, tum quia perfectissimus rem aliquam habendi modus est per identitatem, tum quia ubi est realis compositio, dari debet potentia & actus: ratio autem potentia passivæ Deo repugnat: ergo.

X. Quod verò perfectissimus rem aliquam habendi modus, sit per identitatem, constat: sic enim est ab aliis à se distinctis independens. Deinde hoc modo est perfectissimè una: tria enim sunt unitatum genera, per aggregationem, ut unus acervus lapidum; per unionem veram & physicam, ut homo, ignis, aqua; ac demum per identitatem: ex quibus, ut secunda unitas primam dignitate & perfectione superat, ita tertia superat secundam. Et licet interdum res composita sit perfectior simplicis, ut mista elementis, ideo est, quia per compositionem nova accrescit perfectio, quæ in re illâ simplice non inveniebatur: id verò quod ea omnia haberet per identitatem, esset re illâ simplicius & perfectius, ut rectè S. Thomas citatus articulo illo 7. ad secundum.

Cur res composita sit interdum perfectior simplice.

I. Compositio ex materia & forma in Deum cadere nequit.

HINC inferitur primò, Deum nec in se ex materia & forma compositum esse, nec cum aliâ re per modum materiæ aut formæ in compositionem venire posse: ita communis & certa Theologorum omnium sententia. Ratio primæ partis est, tum quia Deus, ut sectione præcedente ostendi, est perfectissimè simplex, sicque ex partibus realiter distinctis constare nequit: tum quia est usquequaque actus purissimus; ergo in se completi non potest materiam, quæ est essentialiter potentia: tum denique quia in Deo esset aliquid realiter à Deo distinctum, Materia enim illa non esset Deus, sed quid in perfectum, & consequenter creatura, ergo in Essentiæ divinæ constitutionem venire nullo modo potest: & idem suo modo dicendum de formâ.

II. Verum error est Deum formam aut materiam simpliciter.

Secunda Conclusionis pars, quod scilicet Deus cum aliâ re per modum materiæ aut formæ componere nequeat, fide certa est contra varios, tum veterum Philosophorum, tum hæreticorum errores, de Deo hac in parte indignè sentientium. Quidam

enim, ut Democritus, Pythagoras, Stoici, & alii Deum dicebant esse Animam mundi. Horum tamen nonnulli, nempe Academici, ut in Prometheo Christiano dixi disp. 11. c. 2. n. 5. id in metaphorico tantum sensu sumebant; quòd nimirum, sicut anima corpus, ita Deus Universum regit & administrat, partesque ejus omnes & singulas, in suos quasque fines ordinet ac disponat. Quod verò Stoici de Deo, id teste S. Bernardo Epist. 190. affirmabat Abailardus de Spiritu Sancto, quem mundi esse animam docebat, Universum hoc scilicet informantem.

Huc etiam spectat eorum error, qui, ut refert S. Thomas hic q. 3. a. 2. Corp. Deum primi calii animam esse dicebant. Turpissimè etiam hac in re erravit Almaricus, qui Deum rerum omnium essentiam esse pronuntiabat. In quem errorem acriter invecitatus est, & tanquam parum sanæ mentis somnium condemnavit Innocentius Tertius, cap. Damnamus de summâ Trinitate & Fide Catholica, ubi sic habetur: Reprobamus etiam, & condemnamus perversissimum dogma impii Almarici, cujus mentem sic pater mendacii excacavit, ut ejus doctrina, non tam heretica, quam insana sit censenda. Eòdem etiam pertinet illud commentum Davidis eujusdam de Dinando, qui, inquit S. Thomas loco proximè citato, stultissimè posuit, Deum esse materiam primam.

Vocatur quidem interdum Deus Forma, sed alio longè sensu; sic enim Apostolus ad Philippenses 2. v. 6. Naturæ divinæ rationem Formæ tribuit: Quicumque in forma Dei esset. Et S. Augustinus l. 15. de Trin. c. 16. de Deo loquens, est, inquit, forma, neque informis, neque formata, ipsa ibi æterna est, immutabilisque substantia, Idem Sanctus Doctor Ser. 38. super illud, in principio erat Verbum. tom. 10. Verbum Dei, inquit, est forma quadam, forma non formata, sed forma omnium formatorum, forma immutabilis, sine lapsu, sine defectu. Sed hæc, ut dixi, in alio longè sensu sumuntur, eo nimirum quo Angeli subinde vocantur etiam Forma subsistentes, ratione nimirum virtutis & activitatis, quam habent maximam, quod formæ in omni composito proprium est, non materiæ, quæ tota passiva est, & plumbea, virtutisque activæ incapax. Ideo autem Deus vocatur Forma non formata, quia cum Natura divina, usquequaque sit per essentiam completa, perfici inquit formæ, quæ est altera pars compositi, non potest, nec suam aliunde completionem emendicare. Hinc Rupertus, Dei, inquit, substantia forma simplex est, sine ullâ materiâ, ac proinde est quod est. Secundum verò S. Augustini locum proximè citatum explicat S. Thomas hic quaest. tertia art. octavo, ad secundum, de forma exemplari.

Licet autem Deus componere cum re aliâ per modum formæ nequeat, ita scilicet eam complendo & perficiendo, ut ab eâ vicissim compleatur & perficiatur; nihil tamen vetat, quominus activè cum re aliâ constituere compositum queat, ita scilicet eam perficiendo, ut nullam ab illâ perfectionem accipiat; hoc namque dignitatem sonat, Deoque sine incommodo tribuitur: sicut de facto Verbum Divinum cum Humanitate Christum constituit, substantiæ scilicet creatæ supplendo vices, Humanitatemque præstantiori longè modo reddendo subsistentem: de quo, suo loco. Utrum verò Deus aliâ præterquam per Unionem Hypostaticam ratione, possit se creaturæ per nexum aliquem Physicum communicare, videatur Suarez hic l. 1. c. 5. n. 7.

III. Almarici de Deo error, ab Innocentio tertio damnatus.

IV. Deus quo sensu dicitur interdum Forma non formata.

Angeli appellantur Formæ subsistentes.

Rupertus l. 1. in Exod. cap. 14.

V. Deus activè in compositionem cum re aliâ venire potest.

Inferitur

VI. Infertur secundò, Deum non esse compositum ex Natura & Spiritu. Ita cum S. Thomà communis Theol. in Schola. Ratio est: Si enim subsistentia in Deo esset realiter à naturâ distincta, & hæc & illa forent entia incompleta, & realiter perfectibilia, quod de re Deo intrinsecâ dici nequit. Ad quam rem appositè S. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Theauri cap. 8. *Non est aliud, inquit, natura Dei, aliud etiam ipse Deus. Simplex enim atque incompositus est.*

VII. Infertur tertio, non componi etiam Deum ex essentia & existentia, tum ob rationes dictas, quòd scilicet quæcunque compositio in Deo ex rebus realiter distinctis obset summæ ejus simplicitati, quæ omnem omnino compositionem respuit: tum etiam quia nec in creatis Essentia realiter distinguitur ab existentia, ut ostendi Disp. 5. Metaph. sect. 1. & secundâ. Utrum autem ratione nostrâ detur in Deo compositio ex essentia & existentia, dicitur infra sect. quinta.

VIII. Infertur quarto, non componi Deum ex substantia & accidentibus intrinsecis: ita S. Thomas q. 3. a. 6. & cum eo Theologi. Ratio est: Quia hoc modo non esset summè simplex, cum à phylis illis accidentibus verè completeretur & perficeretur. Hoc proinde constanter asseverant Patres omnes; inprimis S. Ambrosius lib. 1. de Fide ad Gratianum, c. 7. *Deus, inquit, natura simplicis est, non conjuncte, atque composita, cui nihil accidat &c.* Idem docet S. Augustinus lib. 5. de Trinit. c. 2. & Sanctus Cyrillus Alexand. lib. 11. Theauri, *Sapienter, inquit, dicitur nihil accidere substantie Dei, quoniam in seipsâ perfecta est.* Hoc denique declaravit Sanctus Leo ad Turibium Epist. 93. c. 5. *Solus Deus, inquit, nullius participationis indigus est, de quo, quicquid dignè utnunquē sentitur, non qualitas est, sed essentia.*

IX. Dixi, nulla esse in Deo accidentia intrinsecâ, denominationes enim accidentales extrinsecas à rebus creatis accipit, ut, esse creatorem, conservatorem, causam &c. & hoc sensu, ut rectè advertit P. Vasquez a. 6. datur accidens prædicabile de Deo, nempe extrinsecum, non intrinsecum; nam quicquid est in Deo, est substantia & Deus: simplex quippe non esset, si in se quidquam intrinsecè haberet, quod non foret Deus. Quòd verò advenit extrinsecè, Deum non immutat, quia eum omnino non attingit.

SECTIO TERTIA.

Deum non esse Corporeum.

I. EX his denique infertur, Deum non esse corporeum: ita cum S. Thoma hîc, Quæstione tertia, articulo primo & secundo, Theologi omnes: estque Conclusio fide certa, Joannis enim cap. quarto, vers. 24. dicitur, *Spiritus est Deus, & 2. ad Corinth. 3. v. 17. Dominus autem Spiritus est.* Denique ratio evidens est: Deo enim, ut supra sect. primâ, n. 9. ostendi, tribui debet, quod est perfectissimum; res autem spiritualis & immaterialis, ex conceptu suo perfectior multo & præstantior est materiali, atque corporeâ crassâ scilicet, & sensibus perceptibili; spiritus verò res longè subtilior est, quæque sensum fugit, solo intellectu cognoscibilis. Videatur S. Thomas citatus, ubi eandem conclusionem variis rationibus optime declarat.

Rejiciendus hîc ergo quartandam, non paganorum tantum, sed etiam Christianorum error, qui ob illud Genesios 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram,* Deo, hominum instar, membra corporea tribuebant, nostrique corporis figurationem. In hoc errore fuerunt *Audiam, vel Odiam,* aut ut eos appellat S. Augustinus 1. de hæresib. n. 50. *Vadium;* qui Audiam monachum vel Audrum, ut eum vocat Theodoretus lib. 4. hæretic. Fabula. c. 13. initio, hæresiarcham secuti, Deum humanis membris & similitudine sibi imaginabantur. Quem etiam errorem, ut refert Cassianus Collat. 10. c. 2. 3. & 5. amplectebantur ex Aegypti monachis, non pauci, inde Anthropomorphitæ dicti. Nec ab hoc errore immunis fuisse videtur Tertullianus, ut testatur S. Augustinus Epist. 137. & Gennadius lib. de Ecclesiast. dogmatib. c. 4.

Quando verò sacra Scriptura Deo membra corporea, & operationes quasdam ab hujusmodi membris dependentes, ut audire, stare, sedere, &c. tribuit, intelligenda hæc omnia sunt per analogiam, & metaphoricè, ut rectè advertit S. Thomas hîc, q. 3. a. 1. alioqui si ad literam, & ut verba sonant, cuncta essent capienda, non hominis tantum, sed variarum etiam bestiarum formæ, Agni scilicet, leonis &c. in Deo essent statuendæ. Unde qui sibi hoc persuadent, pro Deo monstrum procidunt.

Rem hanc pulchrè describit S. Joannes Damascenus lib. 1. Orthodoxæ Fidei, cap. 14. his verbis: *Quia, inquit, plurima de Deo corporaliter in sacra Scriptura symbolicè, mysticèque & significative dicta comperimus, scire nos decet, cum nos ipsi sumus crasso carnis indumento circumdati, nos minime posse divinas, & subtiles, & immateriales Dei operationes intelligere, aut eloqui, nisi imaginibus, & formis, & significativis nostro modo utamur signis, &c.* Hanc ergo ob causam hujusmodi utitur metaphoris Scriptura, ut aliquam saltem, & captui nostro conformem, nobis Dei notitiam ingerat, seque hac in parte, imperfecto nostro intelligendi modo accommodet.

Concludo itaque cum Origene Homilia 23. in Num. ante medium; Divinam Scripturam, dum operationes Deo corporeas ascribit, quæque à partibus humani corporis dependent, ut, sedere, stare, lugere, gaudere, &c. non in proprietate verborum, sed figuratè & tropicè esse intelligendam. *Hæc omnia, inquit, in quibus, vel lugere, vel gaudere, vel odisse, vel lesari dicitur Deus, tropico & humano more accipiendæ sunt; à Scripturâ dici: alienâ porro est Divina Natura ab omni passionis & permutationis affectu; in illo semper beatitudinis apice immobilis & inconcussa perdurans.* Hæc ille appositissimè ad rem præsentem.

Verùm, dicit aliquis, in Deo sunt tres Personæ realiter inter se distinctæ, & tamen inter se conjunctæ; ergo in Deo datur compositio realis, ruunt proinde quæ hæctenus diximus de Dei simplicitate, realem omnem compositionem respicientem. Resp. Trium Personarum inter se conjunctionem, nullam in Deo arguere compositionem; uniuntur quippe sibi mediante unâ eademque naturâ, cum quæ, sicuti non componunt, utpote realiter ei identificatæ, ita nec componunt inter se: De quo, Deo dante, plura suo loco.

II. Error quorundam 3 Deum substantiarum corporeum.

Audiam.

Anthropomorphitæ.

III. Quo sensu Scriptura corporeas subinde membra Deo tribuat.

IV. Cur his metaphoris utatur Scriptura.

Scriptura, in modo loquendi, nostro se captivi accommodat.

V. Quo pacto intelligenda sit Scriptura, dum operationes corporeas Deo ascribit.

VI. Trinitas Personarum nullam arguit in Deo compositionem.

SECTIO QUARTA.

De in Deo possit compositiorationis: ubi de distinctione & numero Attributorum: & an à Deo & Beatis fieri ea distinctio possit.

I. *Compositio sequitur distinctionem.*

COMPOSITIO distinctionem sequitur, ejusque naturam imitatur: cum ergo in Deo nihil sit realiter à Deo distinctum, nulla in eoreperi potest realis compositio. Atverò, ut tota disp. precedente ostendimus, distinctio rationis nihil secum affert Deo indignum, imò, ut ibidem sect. 3. num. 6. probatum est, summam in eo arguit perfectionem. Hanc proinde in Deo variis locis statuit S. Thomas: hic enim q. 13. a. 4. ad 3. *Deus, inquit, est unus re, & plures secundum rationem.* Item in 1. d. 2. q. 1. a. 3. sic habet: *Quidam dicunt, quòd ista Attributa, Misericordia & Iustitia Divina non differant, nisi penes commorata in creaturis, quòd non potest esse &c.* Et ibid. addit, *Pluralitatem Divinorum Nominum, seu perfectionum, non esse solum ex parte intellectus secundum diversas conceptiones, quæ dicuntur diverse rationes, sed etiam ex parte ipsius Dei.* In quam rem plura ex S. Thoma attuli Disp. 24. Log. sect. tertiâ.

II. *Hinc ulterius infero, sicut distinctio rationis Deum non dedecet, ita nec compositio per rationem quidquam in se includit Deo repugnans.*

Hinc ulterius infero, sicut distinctio rationis Deum non dedecet, ita nec compositio per rationem quidquam in se includit Deo repugnans. Imò si deur in Deo distinctio rationis inter varia prædicata sese invicem non includentia, ut Disp. precedente dari ostensum est, non videtur in eo negari posse compositio rationis: intellectus siquidem, sicut prædicata illa dividere à se invicem, & separare intentionaliter potest; ita eadem denuò conjungere poterit, & inter se unita repræsentare, quæ est compositio rationis. Huc alluisse videtur S. Augustinus supra sect. 4. num. 7. citatus, dum lib. 6. de Trin. cap. 4. Deum vocat *Simplicem Multiplicitatem, & Multiplicem Simplicitatem; simplicem scilicet à parte rei, ratione multiplicem.*

S. Augustinus.

III. *Tribus modis sumitur à Theologis Attributum*

Circa numerum Attributorum, notandum imprimis quid nomine *Attributi* à Theologis intelligatur. Quamvis itaque interdum generatim sumatur nomen, ac notio *Attributi*, pro omni prædicato, quod in Deo reperitur, ita ut etiam *Essentia* applicetur: plerumque tamen non pro *Essentia*, sed pro prædicatis tantum ratione nostrâ *Essentia* superadditis sumi solet: ac demum propriissime pro illis solummodo prædicatis, quæ Deo, ut *Unus est*, conveniunt, seu pro *Perfectionibus* tantum absolutis, non pro *Relationibus*, quæ *Attributa* notionalia vocantur, de quibus alibi, in materia scilicet de Trinitate, loco iis proprio, disputari solet.

IV. *Dividuntur Attributa in positiva, & negativa.*

Attributa ergo hoc modo sumpta dividuntur in positiva, seu affirmativa, quæ perfectionem Deo aliquam attribuunt; & negativa, quæ, nostro modo concipiendi, imperfectionem ab eo remoyent. Attributa negativa ut plurimum numerantur octo; nempe, esse *Increatum, Incorporeum, Infinitum, Immensum, Immutabilem, Incomprehensibilem, Invisibilem, Ineffabilem*: quæ nihilominus, quamvis negationem sonent, non tamen omnia propriè in negatione consistunt.

V. *Duplex Attributorum positivorum genus.*

Attributa etiam positiva dupliciter à Theologis sumuntur: primò improprie, nimirum non prout perfectionem aliquam Deo intrinsecam, sed deno-

minationes tantum extrinsecas denotant, ut advertit S. Thomas 1. p. q. 13. a. 7. ad 1. ex tempore eidem advenientes; quales sunt denominationes *Domini, Creatoris, &c.*: Secundò, & propriè, per Attributa positiva intelliguntur illa, quæ realem & positivam perfectionem in Deo existentem significant, ut esse *Omnipotentem, Omniscium &c.* quæ, ut constat, virtutem positivam important, Deo intrinsecam.

Quæres, hæc Dei Attributa, finita numero sunt, an infinita? Resp. ea, quæ primariò in Deo nomine Attributorum importantur, qualia sunt *Iustitia, Misericordia &c.* esse solum finita. Si tamen quis varia ex his Dei prædicatis, ut rectè advertit P. Granada 1. p. tract. 2. d. 9. num. 3. ulterius subdividere velit, & in formalitates inadæquatas, & incompletas intentionaliter distinguere, infinita in eo hujusmodi prædicata inveniet. Quare si Dei potentiam quis, aut scientiam in varios partiales conceptus mente distinguat, quorum singuli singulis creaturis respondeant, & sic de aliis Dei prædicatis, tot in eo attributa inveniet, quot species, imò quot individua. Hi tamen partiales conceptus unum integrant Attributum completum, *Omnipotentia* illi, hi *Scientia*.

VI. *Attributa Dei primaria sunt numero finita.*

Hæc tamen Attributa derivata possunt in infinitum.

Quoad postremum, an scilicet à Deo & Beatis fieri queat distinctio rationis: partem negantem tenet Capreolus in 1. d. 8. q. 4. a. 3. sine, Suarez hic, lib. 1. c. 13. Vasq. 1. p. to. 2. d. 118. cap. 2. Granada 1. p. tract. 2. d. 6. num. 6. Fasolus 1. p. q. 12. a. 8. dub. 2. num. 3. Tanner. 1. p. disp. 2. q. 2. d. 4. num. 7. & alii. Contrarium tamen cum Henrico Quodl. 5. q. 1. Torres 1. p. q. 28. a. 2. d. 2. dub. 3. & aliis tenent plurimi ex recentioribus.

VII. *Vtrum Deus & Beati faciant distinctionem rationis.*

Dico primò: per visionem Dei intuitivam fieri potest distinctio rationis, etiam objectiva inter prædicata divina, & unum Attributum videri non viso alio; item *Essentia* videri sine Attributis, Attributa sine *Essentia*, & sic de cæteris. Hanc Conclusionem infra probabo, cum de visione Dei, ubi ostendam, posse unam ex Divinis Personis clarè videri, non visâ aliâ; five hæc visio sit vocanda *beatifica*, five non, in quo est quæstio de nomine; si enim per visionem *beatificam* intelligat quis eam tantum, per quam omnia quæ in Deo sunt intrinsecè, clarè cernuntur, ejusmodi visio, qua vel una Persona, vel unum Attributum sine alio, vel sine *Essentia* videretur, aut è contrâ, non esset *beatifica*. Si verò per *beatificam* visionem aliud nihil intelligatur, quàm actus qui immediate fertur in Deum, & aliquod ejus prædicatum clarè contuetur, hæc visio esset *beatifica*, cum non abstractivè, sed intuitivè in Deum tendat, eumque sine medio, quamvis inadæquatè, repræsentet.

VIII. *Per visionem Dei fieri potest distinctio rationis.*

Sine visio Dei prædicata, vocanda beatifica.

De intellectu divino major est difficultas: cum enim omnis ejus actus sit comprehensivus, non potest quidquam inadæquatè cognoscere, sicque nec propriè præscindere: actus quippe præscindens, ut in *Logicâ*, Disp. 24. ostendi, ille tantum est, qui unum cognoscit, alio, quod cum eo identificatur, non cognito. Nec quòd actus nostros præscindentes, & objecta iis respondentia videat, propterea præscindit ipse; sicut nec ex eo quòd discursum nostrum videat, discurret. De quo plura cum de *Scientia Dei*. Illud mihi indubitatum videtur, Deum per actus suos intuitivos & immediatos distinctionem rationis, seu præcisiones, facere non posse: Utrum verò cognitio quasi abstractiva, ac mediata, in Deum cadere possit, & per eam fieri præcisio, dicitur suo loco.

IX. *Vtrum intellectus Divinus faciat præcisiones.*

SECTIO QUINTA.

Duplex in Deo compositio per rationem discutitur.

I. *Sola compositio realis Dei Simpliciter repugnat.*

COMPOSITIONEM omnem realem diximus à Deo removendam, tanquam illius Simplicitati repugnantem: Compositionem nihilominus per intellectum nequaquam eum dedecere ostendimus, nec ulli in re illius perfectioni derogare. Quod licet ita sit, de quibusdam tamen in particulari compositionibus per rationem, non levis est inter Auctores controversia, sintne in Deo admitenda. De duabus autem præcipue est difficultas: primò, de compositione ex Essentiâ & Existentiâ: secundò, ex Genere & Differentia, num scilicet per intellectum in Deo statui possint.

II. *Existentia Dei identificatur realiter cum illius Essentia.*

Quoad primum itaque, Existentiam Dei realiter cum illius Essentia identificari, certius est, quam ut de eo dubitare quisquam possit: in qua proinde veritate Theologi omnes conspirant cum S. Thomâ 1. p. q. 3. a. 4. & 1. contra Gentes, c. 22. Quare Suarez hic, l. 1. c. 2. & 3. p. tom. 1. d. 11. f. 1. hoc omnino certum esse, merito affirmat, & oppositum plusquam temerarium. Et Valentia hic, punct. 4. hoc ipsum & fide certum, & naturali lumine evidens esse pronunciat. Inò ipsa Sacra Scriptura id aperte indicat Exodi 3. vers. 14. verbis illis à Deo ad Moysen prolatis, *Ego sum qui sum*. Et mox tanquam nomen Dei proprium vocatur, *Qui est*: resque clarior est, quam ut probatione indigeat.

III. *Verum ratione præscindi Essentia in Deo potest ab Existentiâ.*

Utrum verò Existentiâ ita cum Essentia in Deo identificentur, ut ne ratione quidem seungi possint, & una sine aliâ concipi, non est omnibus perinde certum. Id fieri posse negat Henricus in Sum. art. 21. q. 4. & a. 26. q. 1. Aureolus in 1. d. 8. q. 1. a. 4. Suarez hic, d. 1. c. 2. Fafolus hic, q. 3. a. 4. dub. 2. Tannerus 1. p. disp. 2. quæst. 1. d. 3. num. 10. & alii, qui ita Existentiâ actualem de formali ratione Dei esse autumant, ut Dei Essentia sine illâ representari omnino nequeat. Contrarium tamen tenet Herveus in 1. d. 3. q. 2. Ferrar. 1. cont. Gentes c. 12. Granada 1. p. tract. 2. d. 2. n. 6. P. Arriaga hic, d. 2. sect. 8. n. 67. & videtur sententia S. Thomæ in 1. d. 19. q. 2. a. 1. ad 1. & a. 2. in fine Corporis, & alibi.

IV. *Actualis existentia in Deo distingui aliquo modo per rationem potest ab ejus Essentia.*

Dico primò: actualis Existentiâ non est ita de formali conceptu Entitatis Divinæ, quin ab eâ distingui aliquo modo per intellectum possit, & Deus explicitè concipi, quamvis non explicitè concipiatur cum existentia actu exercitâ: ita Auctores proximè citati. Probatur Conclusio: nam secundum communem sententiam (quam etiam admittit P. Suarez tom. 1. Metaph. d. 2. sect. 1. & 2. qui tamen nobis hic maximè est oppositus) abstrahi potest unus conceptus Entis, Deo & creaturis communis, qui proinde conceptus non minùs de Deo, quam de creaturis, non existentibus tantum, sed etiam possibilibus est prædicabilis: & sicut dicitur, *Angelus est Ens, Sol est Ens, Antichristus est Ens*, &c: ita dicitur, *Deus est Ens*; in quo tamen prædicato non includitur actualis existentia, cum *Ens*, ut dixi, non minùs de rebus possibilibus prædicetur, quam de actualibus: Ergo *Ens*, seu Entitas de Deo dici potest, præscindendo ab actuali existentia.

V. *Deus concipi potest sine existentia non negati-*

Dices: Implicat contradictionem, Deum præsentare ut potentem existere, seu ut possibilem; Ergo Entitas Divina concipi nequit sine actuali existentia. Sed contra: Deus secundum omnes est

R. P. Compton Theol. Scholast. Tom. I.

proprissimè *Ens*; *Ens* autem idem est, quod potens seu aptum existere; Ergo conceptus potentis existere, secundum omnes competit Deo. Pro quo notandum, possibile, seu potens existere, duobus modis sumi, *negative*, & *præcise*: si sumatur *negative*, certum est Deo non competere, idem enim sonat ac possibile tantum, seu non habens existentiam, quod de Deo affirmare nefas est. Si verò sumatur possibile præcise, prout idem est ac non repugnans existere, nec affirmando scilicet de re aliqua existentiam, nec negando, qui est propriissimus conceptus *Entis*, hoc modo Deus est possibilis, seu non repugnans existere, in suo nimirum conceptu duo contradictoria non involvens: & hic, sicut in aliis, ab actu ad potentiam, hoc modo sumptam *valet consequentia*, *Est, seu existit, Ergo potest existere*: quo sensu indubitatum videtur, Deum esse possibilem: de quo plura dixi disp. 4. Metaphysicæ, sect. 1. n. 3. & 4. ubi ostendi, latius patere possibilem quam producibilem.

ad se præcise vid.

Possibile sumitur duobus modis.

Dices secundò (quod valde urget P. Suarez loco supra citato) In Scriptura vocatur Deus *Qui est*, quem proinde Patres passim affirmant, rectè dici suum *Esse*; Ergo secundum Scripturam & Patres, Deus concipi nullo modo potest sine actuali existentia. Ceterum hoc, ut dixi, solum arguit, Deum necessariò existere, & existentiam ei singulari modo competere præ rebus creatis, quæ ita existunt ut possint non existere. Hoc, inquam, est quod à Scripturâ & Patribus asseritur, Deum scilicet essentialiter existere, nec instar creaturarum indifferentem esse ad existentem & non existentem. De subtili autem hac distinctione rationis, & quid per intellectum fieri possit, parum curabam.

VI. *Dicitur Scriptura, & Patrum non obstant, quominus Entitas Dei concipiatur sine actuali existentia.*

Dices tertio: Ut concipiatur quis Dei Essentiam, concipere debet *Ens à se*; hoc autem quisquis concipit, actualem existentiam concipiat necesse est. Resp. *Ens à se* in conceptu suo formali non involvere existentiam exercitam, seu actu esse; solum namque dicit, esse essentialiter improductum, seu petere à nullo entitatem suam accipere, quod neutiquam est formaliter & directè existere, nec nisi per discursum, actualis inde existentia inferitur.

VII. *Ens à se concipi potest, non concepta existentia exercitâ.*

Dico secundò: Quamvis Entitas Dei concipi aliquo modo possit sine existentia exercitâ, Essentia tamen & Existentiâ in Deo concipi nequeunt, ut duæ formalitates distinctæ, nec una objectivè ab alterâ præscindi. Ratio est: Essentia enim possibilis est posse eam existere, sicque in formalissimo conceptu possibilitatis involvitur existentia: esse enim aliquid possibile, seu posse esse, & posse existere, sunt planè idem, ut latius ostendi Disp. 5. Metaph. præsertim sectione secundâ: sicut etiam Essentia exercita est formalissimè existentia similiter exercita; Essentia autem non exercita, seu non existens, actu nihil est absolutum, sed solum conditionatum, de qua proinde affirmari non potest absolute *Esse*, sed solum conditionatè: nempe si esset non sequerentur duo contradictoria. Plura hæc de re dicta sunt Disp. 4. Metaph. sect. secundâ, dum de possibilitate rerum, quæ hic non sunt repetenda.

VIII. *Essentia & existentia in Deo non sunt duæ formalitates per intellectum distinguibiles.*

Hinc cessat quod objicit P. Suarez prima Parte, libro primo, capite secundo, numero sexto. Si enim, inquit, intelligatur existentia distincta ab Essentia, hæc esse debet radix illius, & Existentiâ emanare aliquo modo ab Essentia; Ergo Essentia est aliqua ratione prior Existentiâ, ergo pro illo priori habet etiam existentiam: id enim omne à quo aliquid intelligitur emanare, intelligi debet ut ens actuale, & consequenter ut habens existentiam. Sed hæc obiectio eos tantum urget, qui

IX. *Nulla est inter Essentia & existentiam emanatio, aut resultantia.*



TOMVS I.

qui Essentiam & existentiam vel realiter, vel faltem tanquam duas formalitates à se invicem objectivè distinguunt: in nostrâ autem sententiâ, qui numero præcedente negavimus eas esse hujusmodi formalitates, sed solum distingui secundum diversum modum rem planè eandem concipiendi, argumentum nullam habet vim.

X. *Nō datur in Deo compositio per intellectum ex Essentia & Existentia.*

Ex his ergo tandem infero, non dari in Deo ratione nostrâ compositionem ex Essentia & existentia. Ratio est, quia compositio est distinctorum unio: cum itaque, juxta proximè dicta, Essentia & Existentia tanquam duo prædicata non distinguantur (sicut *Iustitiam, Misericordiam, Intellectum, Voluntatem*, & alia Attributa, hac & præcedente Disputatione distingui vidimus, inter quæ proinde compositionem rationis admittendam esse dixi) inter hæc duo compositio per rationem statui nequit.

XI. *An Deus dici possit compositus ex genere & differentia.*

Secunda compositio rationis, de qua hîc inquirimus utrùm in Deo reperiri possit, est ex *Genere & Differentia*. Video quidem Auctores plerumque refugere, ut hanc in Deo compositionem per intellectum admittant. Cum tamen Sectione præcedente, ex communi Theologorum sententiâ, ac Sancto Thomâ, & Sancto Augustino ostenderim compositionem per conceptus nostros Dei Simplicitati nihil officere, non video cur hæc etiam compositio per rationem in eo admitti non possit: maximè cum Disputatione quadragesima Logicæ probaverim solum prædicatum *Entis* esse Deo & creaturis analogum; reliqua verò, ut *Substantia, Viventis*, &c. à Deo & rebus creatis abstracta, esse univoca, quia ultimas differentias non transcendunt. Quod autem dicit P. Granado hîc Tract. secundo, disp. tertia, numero decimo-septimo, prædicata omnia, Deo & rebus creatis communia, esse analogâ propter summam eorum à Deo dependentiam, ostendi Disputatione illâ quadragesima Logicæ, sect. 7. non subsistere, sed solum transcendentiam constituere analogiam.

XII. *Substantia est Genus respectu Dei & Angeli.*

Quare prædicatum *Substantia*, nisi sit quæstio de nomine, erit Genus respectu Dei, Angeli, Cœli, Solis, & aliarum substantiarum; ab his verò per prædicatum *A se*, & alia Deo propria distinguuntur. Utrùm autem Deus ponatur in prædicamento substantiæ dixi Disputatione sextâ Metaphysicæ, sect. secundâ.

SECTIO SEXTA.

Utrùm ante intellectus operationem, & à parte rei, detur inter prædicata divina, actualis aliqua distinctio.

I. *De prædicatis tantum positivis, & absolutis, est sermo.*

QUÆSTIO procedit de prædicatis Dei intrinsicis absolutis, *Iustitia, Misericordia, Intellectu, Voluntate*, & similibus, non de Relationibus; de his quippe in Materia de Trinitate disputari à Theologis solet. Quod ergo in præsentî quarimus, est, utrùm Attributa illa positiva absoluta, adequatè Deo intrinseca, antè omnem intellectus operationem, vel à se invicem, vel ab Essentiâ distinguantur. Dixi *positiva*: Attributa enim siqua sint purè negativa, hæc inquam, negationes cum sint, necesse est à positivâ Dei entitate realiter distinguî. Dixi etiam *adequatè intrinseca*; perfectiones enim illæ quæ in denominationibus extrinsecis

sintæ sunt, ut *Domini, Creatoris, &c.* de quibus Sectione præcedente, num. 5. esto quoad id, quod dicunt in recto, entitatem scilicet divinam, idem sunt; quoad extrinsecum tamen illud, quod in obliquo connotant, actionem scilicet creativam, aut aliud hujusmodi, realiter distinguuntur.

Quid censendum de prædicatis Dei devoti. nativis.

Celebris ergo hac in parte est sententia Scoti in prima Dis. octava, quæst. quarta, quem discipuli ad unum omnes sequuntur, & mordicus defendunt. Dicunt ergo hi Auctores, Divina Attributa, & inter se, & ab Essentia, ante omnem intellectus operationem formaliter, & ex natura rei distingui. Quare, has & similes propositiones in Divinis admittebat Scotus: *Deitas non est sua Bonitas; non est sua sapientia ex natura rei, &c.* Unde ante omnem, inquit, intellectus operationem datur in Deo *entitas & entitas*, ita ut hæc formaliter, & ex natura rei, non sit illa. Ita etiam Bassolis in primo, Distinctione vigesima-secundâ, quæstione tertiâ, art. secundo, & quæstione quartâ, articulo secundo. Hugo Cavellus in primo, Distinctione octavâ, quæst. quarta. Faber ibid. Disputatione decima-nonâ & vigesima. Smising hîc, Tract. secundo, Disputatione primâ, quæstione secunda, & alii. De hac subtilissimâ Scoti sententiâ, prout eandem distinctionem in creatis statuit, latè disputavi in Logica Disputatione vigesima-secundâ, sectione secunda, & Disputatione vigesima-octava per totam.

II. *Scoti sententia dicitur Perfectiones formaliter, seu ex natura rei distinguuntur.*

Secunda & probabilior sententia affirmat nullam dari hujusmodi distinctionem, *sive formalem, sive ex natura rei, sive mediâ*, aut quo eam cunque nomine appellare libuerit; sed distinctionem omnem actualem, quæ ante intellectus operationem reperitur, esse realem. Ita reliqui propè omnes Theologi: Magister in primo, Distinctione octava. S. Thomas prima parte, quæstione tertia, articulo sexto, & in primo, Distinctione secunda, quæstione prima, articulo secundo & tertio, quem Thomistæ omnes sequuntur, Capreolus in primo, Distinctione octava, quæstione quarta, articulo primo, Cajet. de Ente & Essentia, quæstione duodecima Torres prima parte, quæstione vigesima-octava, articulo secundo, disputatione secunda. Valentia hîc, quæstione decima-tertia, part. tertia. Suarez hîc, libro primo, cap. decimo, & in Metaphysicâ disp. trigesima, sectione sexta: & libro quarto de Trin. cap. secundo, & quarto; Vasquez prima part. disp. centesima decima-sexta, & centesima vigesima, Granado Tract. 2. disp. 5. sect. 2. Fasolus quæst. 4. art. 2. dub. 12. Tannerus 1. part. disp. 2. quæst. 2. d. 2. P. Arriaga disputatione 41. sect. prima, & alii communiter.

III. *Præfertur sententia negans hujusmodi distinctionem ex natura rei.*

Ut omittam quæ contra hanc sententiam dixi Disputatione vigesima-secunda Logicæ sectione secunda, & Disputatione vigesima-octava, ubi variis eam rationibus Philosophicis impugnavi: Inprimis videtur apertè contra communem Sanctorum Patrum auctoritatem, apud quos nihil frequentius, quàm inter hæc Attributa divina, in re, seu ante operationem intellectus, nullam admitti debere distinctionem, sed omnia esse perfectissimè unum.

IV. *Hæc sententia videtur contra communem sensum Patrum.*

Et ut pauca, ex infinitis, quæ afferri possunt, eorum testimonia attexam. Hoc clarè asserere videtur S. Augustinus, tum alibi, tum libro sexto de Trinitate capite septimo. Ubi sic habet: *Deus, inquit, multipliciter quidem dicitur, magnus, bonus, sapiens, verus, & quicquid aliud non indigne dici videtur, sed eadem magnitudo ejus est, quæ sapientia, & eadem bonitas, quæ sapientia & magnitudo, & eadem veritas, quæ illa omnia, &c.* Et tamen juxta hanc sententiam, contradictorium hujus dicti S. Augusti-

V. *S. Augustinus lib. 6. de Trin. c. 7. tem 3. negat Attributa à partem distinguî.*

S. Augustini esset verum, nempe, *Bonitas Dei non est eadem, qua sapientia*: nam à parte rei, & ante omnem intellectûs operationem, secundum hos Auctores, unum Attributum non est aliud; ut, *Intellectûs non est voluntas, Immensitas non est Bonitas, Misericordia non est Iustitia, & sic de cæteris.*

VI. *Distinctio ex naturâ rei est realis.*

Omne ens vel est reale, vel rationis, Ergo & omnis distinctio.

VII.

Formalitates ante intellectûs operationem distinctæ, sunt realitates.

VIII.

Non obstat distinctio reali, quod extrema separari nequeant.

IX.

Sententia Scoti non satis recedat à sententia Gilberti Pictavorum.

X.

Quorundam scilicet scilicet responsio.

Dices, hæc omnia sunt idem realiter, & solum distincta ex natura rei. Sed contrâ: ante omnem operationem intellectûs, seu rationis, unum ex his Attributis non est aliud; ergo à parte rei unum habet in se negationem alterius, quod secundum omnes, est distingui realiter. Deinde, sicut juxta Aristotelem 4. Metaph. tex. 4. & 5. *Omne ens vel est in se, & sic est reale; vel est in apprehensione, & sic est rationis*: ita omnis distinctio vel est in se, & à parte rei, & sic est realis; vel in apprehensione, seu per intellectum, & sic est rationis; nec est fundamentum ponendi distinctionem medium inter realem, & rationis, magis quam Ens medium inter reale & rationis.

Dices secundò: Ideo hanc distinctionem non esse realem, esto sit ante operationem intellectûs, quia non est inter res, sed inter formas, seu formalitates, sicque aptè vocatur *distinctio formalis*. Sed contrâ: hæc enim formæ sunt aliquid & aliquid ante operationem intellectûs; Ergo duæ entitates à parte rei, & nemine cogitante; ergo non duæ tantum formalitates, sed duæ realitates: formalitas enim respectum dicit ad operationem intellectûs, quæ hic nulla est, sed distinctio ista omnem actum intellectûs antecedit.

Respondent tandem, ideo hanc distinctionem, licet omnem operationem intellectûs antecedit, non esse realem, quia extrema distincta non possunt existere separata. Sed hoc nullo modo subsistit; sic enim nec Tres Personæ Divinæ distinguerentur inter se realiter, cum ab invicem separari nullâ ratione possint, quas tamen secundum fidem certum est realiter distingui. Idem est in partibus continui, quæ à se invicem existere separata non possunt. Quod etiam in punctis, seu unionibus in continuo repetitis contingit.

Addo, hanc sententiam non satis recedere à sententia Gilberti Porretani Pictavorum Episcopi, à Patribus Concilii Rhemenfis, inter quos fuit S. Bernardus, condemnata; hic enim aliud non dicebat, quam dari tres Relationes actu ante operationem intellectûs inter se & ab Essentia distinctas, quamvis nec à se invicem, nec ab Essentia separari possint: quæ re ipsa est doctrina sententiæ Scoti, & sola differentia est in modo loquendi; quod enim Gilbertus vocat *rem*, Scotus vocat *formam*, uterque tamen dicit hanc distinctionem esse ante omnem operationem intellectûs, & inter prædicata tam à se, quam ab Essentiâ inseparabilia: hoc autem & Gilbertus, & Patres illius Concilii existimabant esse distingui realiter: nec ideo ab iis condemnatus ibi fuit Gilbertus quod incongruè sit locutus, & distinctionem illam vocaverit realem, quæ realis non erat; sed quod occasionem incongruæ hujus locutionis præbuerit, asserendo scilicet, Relationes divinas à parte rei, & ante omnem actum intellectûs ab Essentiâ distingui, quo nomine tam acriter in eum Ser. 80. in Cantica invecus est S. Bernardus.

Dicunt asseruisse Gilbertum, inter Relationes in Deo & Essentiam intercedere distinctionem realem. Imò S. Thomas 1. p. q. 28. a. 2. Corp. affirmat, Gilbertum Relationes hæc posuisse assistentes, sive extrinsecus affixas. Responde-

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. 1.

tur, distinctionem aliam inter Relationes & Essentiam non posuisse Gilbertum, nisi eam quæ à parte rei, & ante omnem intellectûs operationem eis ab Essentia inseparabilibus conveniret, quam cum similiter ponat sententia Scoti, tam inter illas realem ipse distinctionem statuit, quam statuebat Gilbertus, & in eo solum hic erravit, quod hanc vocaverit distinctionem realem, cum vocare eam debuisset *formalem*; quod tamen est contra mentem Patrum illius Concilii, qui ideo Gilberti doctrinam reprobabant, quod ante omnem intellectûs operationem, & à parte rei, inter Relationes & Essentiam divinam, distinctionem & negationem identitatis statueret: sed hoc idem, ut dixi, facit Scotus; ergo &c.

Ad id de S. Thomâ, Respondeo, ideo dixisse ipsum, Gilbertum Relationes posuisse assistentes, quia eas posuit substantiales, non accidentia, quæ semper subjecto inhaerent. Propterea verò addidit, dixisse ipsum, eas esse extrinsecus affixas, quia posuit illas à parte rei ab Essentia distinctas, eique ex positione termini advenientes. Nec enim eo sensu Gilbertus eas dixit esse extrinsecas, quasi Deo extraneas, quæque abesse potuissent, posuit namque illas entia planè necessaria, & Deo essentialiter inexistencia.

Vereor itaque, ut hæc distinctio ex naturâ rei, seu formalis Attributorum, vel inter se, vel ab Essentia, diversa sit à distinctione, quam inter ea posuit Gilbertus. Quod tamen non eò dico, ut nullam acutissimi Scoti sententiæ censuram inustam velim, quam à doctissimis viris defendi video; sed ut occasionem iis præbeam, suam hac in parte sententiam ulterius declarandi, eamque ab opinione Gilberti, cui nonnulli maxime affinem esse existimant, magis distinguendi.

S. Augustino supra num. 5. citato, neganti Attributa divina à parte rei, & ante omnem actum intellectûs distingui, subscribunt alii Patres. Sic S. Bernardus *Multa*, inquit, *dicuntur esse in Deo, & quidem sanè catholicèque, sed multa unum. Alioqui, si diversa putamus, non quaternitatem habueris, sed centenitatem.* Et S. Anselmus, cum varia Attributa divina enumerasset, subiungit: *Idem est quodlibet unum illorum, quod omnia simul: quemadmodum itaque unum est quicquid essentialiter de summa substantiâ dicitur; ita ipsa uno modo, una consideratione, est quicquid est essentialiter.* En ut Sancti Patres nullam in Attributis divinis distinctionem à parte rei admittunt: de quo, plura scèb. sequente.

SECTIO SEPTIMA.

Aliunde impugnatur distinctio ex naturâ rei in Attributis divinis.

HINC etiam non leve desumitur argumentum contra distinctionem hanc *formalem*, seu *ex naturâ rei*, quod summæ Dei simplicitati non mediocriter deroget, utpote in quo à parte rei multiplicitatem Attributorum statuunt hi Auctores, divinamque naturam ex variis rationibus, actu ante omnem intellectûs operationem distinctis compactam & compositam esse pronunciant: quod sanè partim dignè de Deo Philosophari videtur, & par-

Quo nomine Gilberti sententiam reprobabant, Patres Concilii Rhemenfis.

XI.

Quorundam Gilberti Relationes divinas posuisse assistentes.

XII.

Conclusio circa distinctionem inter Gilberti sententiam, & Scoti.

XIII.

S. Bernardus 1.5. de Consid. col. 7.

S. Anselmus in Monolog. cap. 15.

I.

Distinctio hæc ex naturâ rei derogat Simplicitati Divina.

TOMVS I. tes in eo, non metaphysicas tantum, (quas tamen nonnulli purissimæ Dei Simplicitati, ut lect. 5. vidimus, repugnare censent) sed etiam physicas, ante rationem scilicet, seu actum omnem intellectus distinctas ponere, ita ut una à parte rei non sit alia, sed habeat illius negationem.

II. Alium longè de Deo conceptum formant Patres, aliam ejus astruunt Simplicitem; talem nimirum, ut omnem Attributorum multiplicitem à parte rei excludat. Sic S. Augustinus II. de Civit. cap. 10. de Deo loquens: *Non est, inquit, aliud habens, aliud id quod habet.* Et S. Isidorus lib. 5. de summo bono, cap. 1. *Ideo, inquit, Deus dicitur simplex, quia non est aliud ipse, & aliud, quod in ipso est.* Pulcherrimè verò S. Bernardus libro quinto de Consideratione capite septimo. *Dicimus, inquit, magnum, bonum, justum, & innumerabilia; sed, nisi omnia unum in Deo, & cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum. Mihi verò non deest quod cogitem velius ejusmodi Deo tuo: Quæris quid? mera simplicitas. Vero judicio natura simplex multiplici antefertur.* Et Sermon 80. in Cantica sic habet: *Sola summa & increata natura, quæ est Trinitas Deus, hanc sibi vendicat meram singularémque suæ essentia simplicitatem, ut non aliud & aliud inveniat in ea.*

III. En ut Sancti Patres à Deo excludant omnem compositionem plurium à parte rei, & independentem ab actu intellectus distinctorum, & quorum unum dici potest non esse aliud, quod tamen de Attributis Dei affirmant hujus sententiæ assertores; hæc enim apud eos propositio admittitur, *Sapientia in Deo non est Bonitas, & aliæ similes.* Imò ulterius sequitur, dari in Deo actum & potentiam; datur enim *Essentia*, quæ, ut ipsi fatentur, non est per se sapiens, sed per *Sapientiam*, à parte rei, seu ante opus intellectus ab illâ distinctam: cum ergo hoc modo actuatur per aliquid distinctum, verè erit re ipsa actus & potentia, seu aliquid à parte rei actuans & actuatum.

IV. Confirmatur: hinc enim ulterius sequitur, Deum non esse actum purum; verè enim & à parte rei *Essentia* divina perficitur ab Attributis, nemine cogitante ab illâ distinctis. Quod verò objici posset, dari in Deo tria realiter distincta, tres scilicet divinas Personas, quæ tamen nihil derogant Dei Simplicitati, ergo nec eidem derogabit distinctio *ex natura rei*, in Attributis: ad hoc, responsum est supra, sect. III. fine; ubi ostendi, tres Relationes divinas, licet inter se realiter distinguantur, non tamen distinguuntur realiter ab *Essentia*, atque ita, cum non faciant compositionem cum *Essentia*, nec eam facere inter se. Quod secus secundum hanc sententiam contingit in Attributis, quæ & inter se, & ab *Essentia*, à parte rei distinguuntur volunt hi Actores.

V. Rationes Philosophicæ, quibus hanc sententiam impugnavi, dum eandem distinctionem statuit in prædicatis creatis, *Ente, Vivente, Corpore* &c. videri poterunt citatâ Disp. vigesima-secundâ Log. Sectione secunda & Disputatione vigesima-octavâ; hic enim applicari eodem modo poterunt.

VI. Rationes Philosophicæ, quibus hanc sententiam impugnavi, dum eandem distinctionem statuit in prædicatis creatis, *Ente, Vivente, Corpore* &c. videri poterunt citatâ Disp. vigesima-secundâ Log. Sectione secunda & Disputatione vigesima-octavâ; hic enim applicari eodem modo poterunt.

SECTIO OCTAVA.

Solvuntur argumenta pro distinctione ex natura rei fieri solita.

I. ARGUMENTA quæ pro distinctione *ex natura rei* proponuntur, fundantur ut plurimum in propositionibus contradictoriis, quæ de Attributis divinis formantur: quare sicut eadem fere est forma argumentorum, ita & solutionum: imò uno soluto, solvuntur penè omnia.

Arguunt itaque primò: Attributis divinis, ante omnem intellectus operationem, competunt prædicata contradictoria; nam Pater æternus generat Filium per *Intellectum*, non per *Voluntatem*, aut *Immensitatem*; Spiritus Sanctum producit per *Voluntatem*, non per *Intellectum*. Item Deus per *Attributum Iustitiæ*, penas peccatis infligit, non per *Attributum Misericordiæ*; per *Misericordiam* miseretur, non per *Iustitiam*, & sic de cæteris. Cum ergo hæc Deo verè, & à parte rei conveniant, idque independentem à nostris conceptibus, arguant in eo necesse est distinctionem ab actibus similiter intellectus independentem, cum de eadem omnino re idem affirmari simul & negari non possit. Hanc autem, inquit, vocamus distinctionem *ex natura rei*.

Hoc præcipuum, & propè unicum est hujus sententiæ fundamentum: ad quod respondeo negando antecedens, Attributis scilicet Divinis ante omnem considerationem intellectus, competere contradictoria. Ad cujus probationem dico, sicut in simili dixi in Philosophia locis citatis, in his & similibus propositionibus negandum esse suppositum, in Deo scilicet à parte rei, & ante omne opus intellectus, dari *Intellectum, Voluntatem, Misericordiam, Iustitiam*, & similia prout his nominibus significantur: *Iustitia* enim *Misericordia*, &c. prout hoc nomine importantur, involvunt præcisionem intellectus, & denotant *Iustitiam solam*, aut *solam Misericordiam*, ab *Essentia* & reliquis Attributis distinctam. Unde merito negatur suppositum, cum in hoc & hujusmodi argumentis supponatur *Iustitia* exempli gratiâ: eo modo existere à parte rei, quo nec est, nec esse potest; & argumentans, à statu præcisionis procedit ad statum realem: qui modus argumentandi à Dialecticis semper habetur vitiosus.

Ut ergo argumentum habeat vim, iis terminis utendum, non qui rem prout subest conceptibus nostris, sed prout à parte rei existit, denotent, ut *Entitas* vel *Realitas Intellectus, Voluntatis, Iustitiæ, Misericordiæ*, &c. Si autem hoc modo proponatur argumentum, *Pater æternus generat Filium per entitatem, quæ est Intellectus, non per entitatem, quæ est Voluntas*: Deus punit per entitatem quæ est *Iustitia*, non per entitatem quæ est *Misericordia*, aut *Immensitas*, (quo modo proponi hæc debent ut sint contradictoria) statim apparet falsitas: falsum est enim, Patrem æternum non generare Filium per entitatem quæ est *Voluntas*, aut Patrem & Filium non spirare Spiritum Sanctum per entitatem quæ est *Intellectus*, aut *Immensitas*. Falsum item est, Deum non punire per entitatem quæ est *Misericordia*, & sic de cæteris.

Dices 2

II. *Dei Simplicitem statuat Sancti Patres.*

III. *Dicitur S. Bernardi de Simplicitate Dei.*

III. *Distinctio ex natura rei arguit in Deo actum & potentiam.*

IV. *Ex distinctione ex natura rei sequitur, Deum non esse actum purum.*

I. *Argumenta hæc fundantur in contradictionibus.*

II. *Obij: Pater æternus generat Filium per Intellectum, non per Voluntatem; punit per Iustitiam, non per Misericordiam.*

III. *Ostenditur, Attributis Divinis non convenire contradictoria ante opus intellectus.*

IV. *Utendum terminis, qui realem entitatem denotent.*

Deus punit per entitatem quæ est Misericordia.

SECTIO NONA.

Alia argumenta pro distinctione ex naturâ rei diluuntur.

V. Quaedam propositiones in Divinis.

Dices: Ergo Intellectus in Deo est Voluntas, Iustitia est Misericordia, &c. Imò ulterius, Iustitia ut Iustitia est Misericordia, Intellectus ut Intellectus est Voluntas, &c. è contrâ. Tertio, Hæ & similes propositiones erunt Veræ, Deus Intellectu vult, Voluntate intelligit, etiam quâ Voluntate, &c. quæ tamen & ab omni verâ Theologiâ, & à ratione, maximè videntur aliena.

VI. Quo sensu Intellectus in Deo sit Voluntas.

Sed hæc non urgent, & ferè ex dictis sunt soluta. Ad primum ergo respondeo, si de Intellectu loquamur & voluntate prout realiter sunt, & à parte rei, Intellectus in Deo est Voluntas, & Iustitia Misericordia, cum inter hæc Attributa à parte rei nulla sit distinctio. Si verò, ut ferè fit, loquamur de his prout subsunt diversis nostris conceptibus inadæquatis, propositiones prædictæ falsæ sunt, quia non est sermo de Intellectu & Voluntate prout à parte rei existunt identificatæ, sed prout à nobis ab invicem objectivè separantur; sub hac autem consideratione, Intellectus non est voluntas, nec Iustitia Misericordia. Quod optimè declarat P. Suarez to. 2. Metaph. d. 30. sect. 6. n. 13. ubi hæc de re agens, sic habet: *Mens nostra*, inquit, *per inadæquatos conceptus partitur rem in se omnino indivisibilem; & tunc quamvis res in se omnino sit eadem, tamen non cadit sub singulis conceptibus secundum totam adæquatam rationem suam, & ideo si reduplicatio fiat in ordine ad conceptus nostros, non potest uni attribui, quod attribuitur alteri &c. Et ob eandem causam, ille locutiones in omni rigore falsæ sunt, Deus per Iustitiam miseretur, Pater per voluntatem generat. Hæc ille.*

Hæc propositio, Intellectus in Deo est Voluntas, & similes, sunt ut plurimum falsæ.

VII. Dicuntur potest, Iustitia ut Iustitia est Misericordia.

Ad secundum eodem modo respondetur cum P. Suarez citato: Si enim sermo sit de rebus prout sunt à parte rei, Iustitia ut Iustitia est Misericordia, & Intellectus ut Intellectus est voluntas: quia tamen hæc ut plurimum capiuntur, non ut sunt à parte rei, sed ut subsunt præcisioni intellectus, & inadæquatè à nobis concipiuntur, propositiones illæ sunt falsæ. Et eodem modo respondeo ad tertiam propositionem, Deus Intellectu vult, Voluntate intelligit.

VIII. Veritates fidei quoad modum eas declarandi, pendunt à præcisione nostri intellectus.

Dices secundo: Ergo mysteria Fidei pendunt à præcisione nostri intellectus. Respondetur; mysteria & veritates Fidei in se, & prout reipsa à parte rei existunt, à nostris conceptibus non pendere; pendunt tamen quoad declarandi modum. Quare cum Filius in Divinis procedat per modum Verbi, requirit peculiariter intellectum tanquam principium sui, non quidem intellectum solum, tale enim nihil est in Deo, sicut nec in eo est voluntas sola, à qua procedat Spiritus Sanctus, qui peculiariter procedit per modum amoris; sed cum hæ rationes in Personis hisce singulari quodam modo reperiantur, præbetur nobis fundamentum, ut Intellectum in Divinis à voluntate præcindamus, & Verbum ab Intellectu, Spiritum Sanctum à Voluntate procedere dicamus. Utrum autem fortasse, propter specialem hunc utriusque Personæ procedendi modum non sit inter Intellectum in Deo & Voluntatem virtualis quædam distinctio admittenda, ut vult Cajetanus de Ente & Essentia, cap. 6. q. 12. ad argumenta Scoti, Molina d. 2. Concl. 3. in solutione argumentorum, Tannerus hic d. 2. q. 2. dub. 2. n. 12. dicens esse communem sententiam, & insinuare videtur Suarez d. illâ 30. Metaph. l. 6. videbimus dum de his processionibus in particulari agemus.

ARGUITUR secundò: Iustitia ex conceptu suo non identificatur cum Misericordia, Sapientia, & aliis perfectionibus: ergo non est eum cum iis in Deo identificetur. Contrâ; ergo & realiter ab iis distinguetur, cum in creatis hoc modo ab iis reperitur distincta. Respondetur itaque Iustitiam & alias perfectiones communissimè sumptas abstrahere, & ab identitate inter se, & distinctione; in Deo autem illas identificari, in creatis distingui.

Arguitur tertio: Iustitia, Misericordia, Sapientia &c. diversas habent definitiones, ergo differunt ex natura rei; diversitas quippe definitionum, ad minimum arguit hanc distinctionem. Quo etiam argumento, ut Disp. 28. Log. vidimus, utuntur ad probandum, Animal & Rationale distingui ex naturâ rei. Resp. diversas definitiones adæquatas, rebus scilicet, prout à parte rei existunt, correspondentes, arguere in iis distinctionem, non definitiones tantum inadæquatas, seu rationum ac prædicatorum, quæ per intellectum ab invicem præcinduntur, & hoc modo præcisè definiuntur; hæc namque definitiones solum arguunt distinctionem rationis, rebus quæ definiuntur, conformem.

Arguitur quarto: Nisi admittatur distinctio ex natura rei, violabitur forma syllogistica. Resp. quoad attributa, & perfectiones absolutas, de quibus solis hic loquimur, nihil decedere de vi formæ syllogistica. Vel enim sermo est de Iustitia, Misericordia, & aliis prout sunt à parte rei, tunc autem quæ de uno tertio affirmantur, eodem modo affirmantur de se invicem, ut in hoc discursu; Iustitia realiter est Immensitas, Misericordia realiter est Immensitas: ergo Iustitia realiter est Misericordia: Verum est quod in consequente infertur, realiter enim, & à parte rei sunt idem. Si verò de iis loquamur ut per intellectum præcisus, & formaliter, unum Attributum de alio nequit affirmari, quia hoc modo non affirmantur de uno tertio. Unde in hoc discursu: Iustitia est Immensitas, Misericordia est Immensitas, ergo Iustitia est Misericordia, consequentia nulla est, cum Iustitia formaliter, & in sensu præcisionis, non sit Misericordia: nec mirum, nam hoc sensu nec Iustitia, nec Misericordia sunt Immensitas. Cum itaque hoc modo non uniantur uni tertio, nempe Immensitati, quid mirum si non uniantur inter se.

Hæc de formâ Syllogisticâ in Attributis absolutis: quid enim de notionalibus, seu respectivis, quoad unionem inter se, & affirmationem unius Relationis de aliâ, dicendum sit, eò quòd omnes uniantur cum Essentia, & de illâ affirmantur, dicitur in materia de Trinitate; ubi ostendam etiam in illis, ad integritatem formæ syllogistica strictè servandam, distinctionem ex naturâ rei non esse ullo modo necessariam.

Arguitur quintò: Nisi detur distinctio ex naturâ rei inter prædicata Metaphysica, termini erunt synonymi, & ex iis nihil concludetur, nec ullus rectus

I. Iustitia ut sic nec identificatur, nec non identificatur cum Misericordia.

II. Diversitas definitionis non arguit distinctionem ex natura rei.

III. Per negationem distinctionis ex natura rei, nihil violatur forma syllogistica.

IV. De formâ syllogisticâ in notionalibus.

V. Distinctio ex natura rei non requiritur ut termini non sint synonymi.

TOMVS I. rectus formabitur syllogismus. Respondetur, ad hoc ut termini non censeantur synonymi, sufficere si res aliqua Physicè eadem, variis conceptibus in ordine ad diversos terminos exprimat; sic enim, quoad modum saltem intelligendi, non idem uno termino denotatur, quod denotatur altero. Hoc verò multo clariùs cernitur, si voces diversos conceptus obiectivos significent, ut in præsentia contingit, tunc namque aliquid diversi semper, etiam ex parte obiecti, importatur; ac proinde maximè differunt à terminis synonymis, quibus res planè eadem denotatur, & sola diversitas est in voce.

VI. *Vbi summa identitas, nulla confusio.*

Arguitur sextò: ubi non est distinctio, est confusio, quæ tamen à Deo, ente omnium perfectissimo, longissimè removenda: ergo inter ejus Attribute, distinctio hujusmodi statuenda. Resp. Antecedens, universim loquendo, esse falsum; ubi enim nulla distinctio, ibi summa identitas, ubi autem identitas, nulla confusio: hæc quippe essentialiter plura, inter quæ versetur confusio, involvit. Cum itaque inter Attribute divina, nulla à parte rei sit actualis distinctio, nulla inter ea potest esse confusio. Entitas quidem divina, ob summam fecunditatem & eminentiam, fundamentum præbet, ut quis varias in eâ perfectiones, & prædicata intellectu distinguat, sed simul est ordinatissima, in cujus proinde perfectionibus evolvendis, ac distinguendis confusionem si sibi quicquam pariat, intelligentis vitium est, non rei intellectæ.

VII. *Vnum attributum absolutum non est à parte rei magis idem sibi quàm aliis.*

Septimò arguitur: unumquodque Attributum magis est idem sibi quàm aliis; *Iustitia* ex. g. est magis idem sibi quàm *Sapientia* aut *Bonitati*: ergo habet negationem identitatis cum aliis Attributis, alioqui tam esset idem aliis quàm sibi. Resp. si sermo sit de Attributis prout sunt à parte rei, nul-

lum Attributum esse magis idem sibi, quàm aliis; cum, ut dixi, à parte rei, nulla sit inter ea distinctio. Si autem de iis loquamur, ut præcisè, verum est hoc sensu unum Attributum esse magis idem sibi, quàm aliis; sed hoc solum arguit, inter illud & alia intercedere distinctionem rationis, quæ ejusdem ad seipsum dari nequit.

Arguitur denique octavò: Unum Attributum in Deo probatur subinde per aliud: sic enim diximus supra, *Æternitatem* probari per *Immutabilitatem*; ergo unum Attributum est notius alio; omnis quippe demonstratio, à notioribus procedit ad minus nota; dari ergo necessariò inter illa debet distinctio *ex naturâ rei*, alioqui si unum Attributum à parte rei non distinguatur ab alio, idem erit notius seipso, quæ est aperta contradictio. Sed contrà: hinc namque sequeretur, inter definitionem & definitum dari distinctionem ex naturâ rei, cum per definitionem frequenter probetur aliquid, prima passio ex. g. de definito, & tamen, ne ipsi quidem Scotistæ distinctionem *ex naturâ rei* statuunt inter definitionem & definitum.

Respondetur itaque, à parte rei, & realiter, unum Attributum non esse notius alio, cum à parte rei non sit unum & aliud, ut jam sæpius dictum est. Si autem sermo sit de entitate divinâ prout ratione nostrâ est in varia prædicata, seu Attribute, virtualiter distinguibilibus, sic nil mirum si unum Attributum clariùs cognoscatur quàm aliud, cum & unum cognosci possit, alio omnino non cognito. Quod mirum non est in Deo; nam, ut in Logicâ, Disp. 24. cum viore & communiore opinione Præcisiones obiectivas astruente ostendi, id in rebus etiam creatis contingit, tibi animal cognosci potest, non omnino cognito rationali, & sic de aliis.

VIII. *Quod unum Attributum probetur per aliud, non arguit inter ea distinctionem ex naturâ rei.*

IX.

Potest unum Attributum cognosci, alio penitus non cognito.

